

Secundum non sufficit, quia voluntas a nullo objecto de necessitate movetur, nisi a solo ultimo fine.

3º Potest ergo dumtaxat diabolus esse hominibus causa moralis et indirecta peccanti¹, quatenus proponit sensibus sive internis sive externis aliquid appetibile, commovet appetitum sensitivum et phantasiam, et hinc suadet rationi illud esse bonum et eligibile.

[Petes 2º quomodo sensibilia externa fiant causæ peccatorum.

Resp. Sensibilia externa movendo appetitum sensitivum cause peccatorum fiunt. Cum enim ab aliquo objecto commovetur sensus, illud proponit appetitui, et appetitus allicit rationem; si ratio deficiat a consideratione regulæ, approbat delectabile ut tale et voluntati illud offert; cui si voluntas consentiat, perficit peccatum.]

Sequitur de causa peccati ex parte hominis, hoc est de peccato originali. Pro quo sit

DISSERTATIO VI

DE PECCATO ORIGINALI

D. Thomas, qq. 81, 82, 83.

ARTICULUS I

Utrum sit peccatum originale ab Adamo ad posteros transmissum?

Per peccatum originale intelligimus illud quod nascedo contrahimus ex Adamo, qui cum esset constitutus a Deo caput, non solum naturale, sed etiam morale omnium hominum ab ipso seminaliter propagandorum, supponebat pro nobis et continebat in sua voluntate

1. Ibid.

voluntates nostras, ita ut, dum peccavit, simul in eo peccavimus. In quo consistat essentia hujus peccati, dicemus infra; sed interim, quidquid sit, esse verum peccatum quo inficiimur et nascimur filii ire, dogma est catholicum, quod hic probandum suscipimus adversus haereticos.

Dari peccatum originale in posteris Adæ, primus omnium negavit Pelagius, deinde ejus discipuli Julianus et Cælestius, contendentes Adam sibi soli nocuisse, non posteris, nisi exemplo.

Dico: Secundum fidem catholicam, tenendum est peccatum originale traduci in posteros Adæ¹.

Probatur 1º. Apostolus, *ad Rom.*, v, 12, dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo, juxta Apostolum, aliquod peccatum in hunc mundum intravit, quod omnes homines constituit peccatores et morti obnoxios. — Subsumo. Atqui istud peccatum non est actuale personale, cum infantes, qui morti sunt obnoxii, non sint illius capaces. Ergo originale.

Confirmatur hæc probatio ex eodem Apostolo, II *ad Cor.*, v, 14 et 15: *Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* « Nega, inquit Aug. Juliano, lib. VI contra ipsum, cap. 9, n. 24, Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum. Si et pro ipsis mortuus est, ergo et ipsi mortui sunt. » Est ergo peccatum aliquod quo infantes recens nati dicuntur mortui: et hoc quid est aliud, nisi originale? Item *ad Ephes.*, II, 3: *Eramus natura, id est, a nativitate et origine, filii ire.*

Probatur 2º ex conciliis. Concilium Palæstinum, cuius meminit Aug., Epist. 486²; Milevanum in Africa, anno 446; Innoc. I confirmans conc. Milev.; Zosimus, Epist. ad episcopos totius orbis, cuius meminit Aug., Epist. 490³;

1. Hic q. 81, a. 1, o. — 2. Olim 106. — 3. Olim 137.

conc. Florent., in litteris unionis; tandem Trid., sess. v, decreto de peccato originali¹, can. 2, definierunt sub anathemate dogma catholicum de traductione peccati originalis in posteros Adæ.

Probatur rationibus theologicis². Cum hæc veritas a sola Dei voluntate pendeat, probari non potest nisi rationibus deductis ex principiis revelatis. Prima ratio, eaque peremptoria, quam præcipue urgebant SS. Patres, petitur ex baptismo infantibus collato, et sic proponitur. Apostolica traditio est, eaque perpetuo et constanti usu Ecclesiae firmata, infantes recens natos, præsertim si eorum vita periclitetur, esse baptizandos. Ita docent S. Dionysius, *de cœlest. Hierarchia*, cap. ult.; Origenes, *Hom. viii in Levit.*; Cyprianus, lib. III, Epist. 8; Hieronymus, lib. III *adversus Pelagianos*; Aug., lib. IV *contra Donat.*, c. 24. Neque id negarunt Pelagiani, Zwinglius et Erasmus. Hæc autem traditio tanta Ecclesie sollicitudine servata et firma fundatur in verbis Christi, *Ioann.*, iii, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui baptismus confertur in remissionem alicujus peccati. Ergo infantes inquinantur peccato a nativitate.

Minorem negant Pelagiani, dicentes baptismus conferri infantibus, non in remissionem peccati, neque ad consequendam vitam æternam, sed ut haberent jus ad regnum, juxta verba Christi prius laudata. Distinguebant enim æternam beatitudinem a regno. Itaque

Probatur min. Prima ratio. 1º Est expressa sententia

1. « Si quis Adæ pravaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdisse; aut inquit illum per inobedientiam peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfusisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ; anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* » — 2. Hic q. 81, a. 1, o.

Scripturæ, *Act.*, ii, 38 : *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* 2º Qui baptizantur, mundantur et abluantur. Patet tum ex forma baptismi, *baptizo te*, id est, abluo te; tum ex Scripturis, *Ephes.*, v, 26 : *Mundans eam lavacio aquæ in verbo vitæ; ad T'itum*, iii, 5 : *Per lavacrum regenerationis et renovationis;* *Act.*, xxii, 16 : *Baptizare et ablue peccata, invocato nomine ipsius.* Atqui non mundatur aut lavatur, nisi qui sordes et maculas habet. Ergo.

Secunda ratio petitur ex cæremoniis baptismi, nimirum ex exorcismo et exsufflatione, quibus spiritus immundus abigitur. Ergo ante baptismum ille spiritus tenebat infantem captivum per peccatum. Usus autem istarum cæremoniarum fuit semper usurpatus in Ecclesia, et ex illo Aug. passim arguit contra Pelagianos.

Tertia ratio. Christus, juxta Scripturas, et maxime juxta Apost., est Redemptor omnium, etiam parvulorum. Atqui redemptio supponit captitatem et damnationem, damnatio peccatum, neque parvuli ullo alio peccato quam originali captivari possunt. Ergo.

Quarta ratio. Mors est poena peccati, juxta illud *Rom.*, vi, 23 : *Stipendia peccati mors, et illud Genes.*, ii, 17 : *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Atqui moriuntur omnes, etiam infantes qui propria voluntate non peccaverunt. Ergo.

Confirmatur hæc ratio. Homo nascitur obnoxius, non solum necessitati moriendi, sed variis ærumnis et miseriis, curis, doloribus, infirmitatibus, tristitiis, ignorantias, fami, siti, frigori et concupiscentiis, pejus quam bruta. Atqui natura, ut primum fuit a Deo creata et antequam caderet, non erat obnoxia his omnibus miseriis et ærumnis; Deus enim, ut dicitur *Sap.*, ii, 23 et 24 : *Creavit hominem inexterminabilem...* *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et *Eccles.*, vii, 30 : *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit questionibus.* Ergo hæc omnes miseriae et ærumnæ sunt effectus peccati communis omnibus; communis enim poena ostendit communem præcessisse culpam.

Solvitur duplex objectio difficilis.

Prima objectio. Si peccatum originale sit vere et proprio peccatum, debet esse voluntarium. Atqui peccatum originale non est voluntarium. Ergo.

Ante responsonem, suppono 1º peccatum originale esse vero et proprio peccatum, quo sumus *natura filii iræ*, *Ephes.*, ii, 3, et *inimici*, *Rom.*, v, 10. Atque ita definitum est in conc. Arausiecano II, can. 2, et in Trid., sess. v, can. 2 et 3¹.

Suppono 2º peccatum originale non esse de genere peccatorum actualium, sed habitualium, consistens in privatione justitiae originalis, ut dicam infra. Peccatum autem habituale non est voluntarium formaliter, sed terminative seu virtualiter et in causa, quatenus est terminus et effectus peccati actualis.

Quantum ad peccatum actuale Adæ, in nos quidem traducitur, juxta illud Apost., *Rom.*, v, 12 : *In quo omnes peccaverunt*, sed moraliter tantum et denominative extrinsece, quia actus secundus solum denominat intrinsece eum a quo est, et in quo inest; quamvis autem fuerimus in Adam quando peccavimus, non tamen in eo eramus actu, sed potestate tantum. Unde, sicut denominatio futuri est tantum extrinseca, ita extrinsece denominamur peccasse in Adam. At peccatum originale est formaliter et intrinsece in nobis, seu, ut dicit Trid., sess. vi, can. 3, « inest unicuique proprium. »

Suppono 3º Adamum fuisse a Deo constitutum caput, non solum naturale, sed etiam morale omnium hominum, quantum ad conservationem aut amissionem justi-

1. Canon 2 supra relatus fuit ad probat. 2^{ma}. — Can. 5 : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit. »

tiae originalis; ita ut ipse Adam et omnes ejus posteri censeri debeant tamquam unum corpus, cuius ipse Adam sit caput, atque gerat personam omnium, in eo in quo est caput, et voluntas ipsius in ratione capitinis sit voluntas omnium posteriorum, sive quidquid vellet in ratione capitinis ipsi etiam vellent, non voluntate propria et personali, sed communis voluntate sui capitinis.

Suppono 4º Deum ita potuisse decernere atque disponere absque ulla injustitia : 1º Quia, cum sit supremus omnium Dominus, et, ut dicit Aug., lib. *de Corrept. et Gratia*, c. 14, n. 45, « magis habeat in sua potestate voluntates nostras, quam nos ipsi, » sicut nos possumus in alium transferre voluntatem nostram, ita Deus iure suo potuit, non requisito consensu nostro, cum tunc non essemus actu, transferre voluntates nostras in voluntatem Adæ : non quatenus sumus singulares personæ, sic enim quisque habet propriam voluntatem et est arbiter sui; sed quatenus sumus partes et membra totius naturæ ab Adam propagandæ. Simile quid contingit in humanis, dum princeps includit voluntatem pupilli in voluntatem tutoris, quantum ad actus civiles, aut dum magistratus agit nomine totius communilitatis eum rege, et illi exhibit juramentum fidelitatis. 2º Quia istud decretum erat in rem et bonum nostrum; si enim Deus suis præceptis nos obligaverat in Adam, nos etiam suis donis gratuitis in illo cumulaverat, ita ut, si Adam perseverasset, simul cum natura ab eo accepissemus justitiam originalem et omnia bona ei annexa. Adamum autem Deus tot gratis ornaverat, tot auxiliis muniverat, ita contra tentationes vallaverat, ut magis speranda esset perseverantia et commoda secutura, quam timenda prævaricatio et mala secutura. Unde, si talis conditio nobis hodie proponeretur, nemo prudenter eam recusaret.

Nec sequitur ideo, Deum posse nunc sic includere meam voluntatem in voluntate alterius adulti, ut, illo peccante, peccem: quia in hoc casu posset contingere quod peccarem mortaliter eodem instantiquo elicere actum ferventissimæ charitatis; quod est inconveniens. Id autem non

habebat locum quando voluntas posteriorum Adæ non existentium includebatur in ejus voluntate. Aliunde Deus vult adultos actu existentes esse arbitros sui. His suppositis, ad objectionem

Resp. peccatum originale esse nobis voluntarium, non formaliter per modum exercitii, quia non est peccatum actuale, sed terminative virtualiter et in causa, quia est de genere peccati habitualis: non physice et voluntate personæ, quia tunc non eramus actu quando peccavit Adam; sed moraliter voluntate capitinis, que ex Dei institutione supponebat pro voluntatibus nostris.

Secunda objectio. Non potest dici nec concipi quomodo peccatum originale traducatur ab Adamo in posteros; nam peccatum originale est in anima, anima non est ab Adamo nec a parentibus per generationem, sed a Deo creatur, ut decisum est in concilio Lateran. V, sub Leone X¹, sess. 8. Deus autem illam non vitiat; non enim est author peccati, et nihil odit eorum quæ facit. Caro in qua recipitur anima et semen per quod generatur caro, cum sint corpora, non possunt agere in animam et illam inficere, quia est spiritus. Quomodo ergo ista anima invenitur in sua origine peccato infecta et maculata?

Hæc difficultas tanta visa est Augustino, ut diu dubitaverit, an non anima traduceretur a parentibus in prolem, sicut corpus (quam tamen sententiam postea abjecit Epist. 190², ad Optatum, n. 2), et in Epist. 167³, ad Hieron., n. 2, dicat sufficere Christiano scire quomodo a peccato originali possit liberari, licet ignoret quomodo illud incurrit. Circa quod ipsemet semper dubius hæsit.

Resp. peccatum originale traduci per generationem, non quia per illam anima traducitur; hæc enim creatur a Deo, nec Deus eam inficit, ut bene dicit objectio, neque quia caro aut semen agit efficienter in animam, ut iterum probat objectio; sed quatenus semen movet dispositio ad animam et ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunc-

1. Constitut. Apostolici regiminis. — 2. Olim 157. — 3. Olim 29. — 4. Hic q. 81, a. 1, ad 2; q. 3 de Potentia.

tione fit hic homo, hæc natura humana; non enim generatione terminatur ad productionem solius formæ aut materiæ, sed totius compositi. Per generationem itaque, virtute seminis, habetur et traducitur natura ab Adam seminaliter propagata. Consequenter, per concomitantiam seu resultantiam traducitur et culpa, quia traducitur natura privata justitia originali, privatione nobis voluntaria in Adamo, in qua privatione consistit essentialiter peccatum originale, ut dicemus infra.

Ex his colliges, causam efficientem moralem peccati originalis esse peccatum Adæ, causam autem quasi instrumentalem esse semen quo natura producitur.

ARTICULUS II

Varia quæstiones circa traductionem peccati originalis breviter resolvuntur.

Potes 1º quodnam Adæ peccatum fuerit causa traductionis peccati originalis.

Resp. probabilius, cum Authore¹, fuisse primum, non quia tale, sed quia primum: quia illud peccatum Adæ fuit causa traductionis peccati originalis, per quod amisit justitiam originalem transfundendam in posteros. Atqui quodcumque peccatum fuisse primum, sive operis, sive voluntatis, per illud amisisset justitiam originalem, amittendo scilicet gratiam sanctificantem quæ erat radix justitiae originalis, aut saltem in ea includebatur. Ergo.

Potes 2º utrum alia primi parentis vel proximorum parentum peccata traducantur in posteros.

Resp. negative², quia in tantum peccatum primum Adæ traducitur in posteros, in quantum erat a Deo constitutus caput morale omnium posteriorum, quantum ad conser-

1. In II Sentent., dist. 33, in secunda expositione textus, post q. 2; 2a 2a, q. 163, a. 3, ad 2. — 2. Hic q. 81, a. 2, o.

vationem aut amissionem justitiae originalis. Atqui proximi parentes non ita sunt constituti caput morale sua stirpis, et ipse Adam per primum peccatum a dignitate capitatis exciderat. Ergo.

Hinc damnata est haec propositio: « Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem et omnes posteros e modo inficere possit, quo infecta prima transgressio. » Est 52 inter Baianas a S. Pio V, 4 octobris 1567 damnatas.

Potes 3º utrum si, Adamo non peccante, Eva peccasset, posteri contraxissent peccatum originale.

Resp. negative¹.

Prob. 1º. Apost., Rom., v, 12, dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Atqui, si foemina peccatum originale in prolem transmitteret, magis dicendum fuisset, per duos homines, cum ambo peccaverint, vel potius per mulierem, quae primo peccavit². Ergo.

Confirmatur. Ibidem, 18 et 19, dicit Apostolus: *Per unius delictum, per unius inobedientiam, peccatum in mundum intrasse, et semper illic comparat unum uni, scilicet Adamum Christo.* Ergo idem quod ante.

2º Solus Adam, et non Eva, constitutus fuit caput morale posteriorum, quantum ad conservationem vel amissionem justitiae originalis. Consequenter peccatum Adæ fuit capitale, peccatum autem Evæ personale. Ergo.

Potes 4º utrum si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteri Caini contraxissent peccatum originale.

Respondeatur communiter negative, propter eamdem rationem, quia scilicet solus Adam, et non Cain, aut alter ex Adæ posteris, erat constitutus caput morale omnium hominum, quantum ad conservationem aut amissionem justitiae originalis.

Potes 5º utrum, si Adam solum post natum filium peccasset, iste filius et ejus posteri contraxissent peccatum originale.

1. Ibid., a. 3, o. — 2. Ibid., in arg. *Sed contra.*

Resp. probabilius negative: quia nec iste filius, nec ejus posteri fuissent in lumbis Adæ quando peccabat, nec consequenter propagarentur seminaliter ab Adam peccatore. Illi autem soli contrahunt peccatum originale, qui erant in lumbis Adæ, dum peccabat, et ab eo peccatore seminaliter propagantur. Adde quod iste filius jam esset justus, justitia autem semel habita non perditur nisi propria voluntate.

Potes 6º utrum omnes homines contrahant peccatum originale.

Resp. ¹. De fide est omnes omnino homines ab Adam seminaliter propagatos, secluso speciali privilegio, contrahere peccatum originale.

Probatur 1º ex illo Rom., v, 12: *In quo omnes peccaverunt.* 2º Quia alioquin non omnes indigerent redemptione quae est per Christum; quod est erroneum. 3º Quia traducitur in omnes natura privata justitia originali, in qua privatione, ut voluntaria in capite, consistit peccatum originale, ut dicimus modo. 4º Patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quae solet et maxime sollicita est ut infantes quorumcumque et fidelium et justorum baptizentur, ne in æternum damnentur. Tandem id probant quæcumque protulimus in probationem existentiae peccati originalis.

Dixi 1º: « In omnes ex Adam seminaliter propagatos, » ut exciperetur Christus, qui non ex virili semine, sed mystico spiramine fuit conceptus, sivecum cum non contineretur in lumbis Adæ peccantis, in ipso non peccavit.

Dixi 2º: « Secluso speciali privilegio, » quia multi pie sentiunt B. V. Mariam fuisse immunem, non quidem a debito contrahendi, sed ab actuali contractione peccati originalis. Verum hac in re nihil definitivit Mater Ecclesia², sed cuique liberum relinquit amplecti quam voluerit sententiam, vetans sub excommunicatione ne alterutra pars alteram errore vel heresi notare præsumat.

1. Ibid., a. 3, o. — 2. Veritatem hanc, ut de fide definitam a Pio IX, mox probabimus.

Et quamvis Paulus V, decreto universalis Inquisitionis 1617, ad evitanda scandala, jurgia et dissensiones, prohibuerit ne pars affirmans B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali in publicis concessionibus, lectionibus et actibus publicis defendetur, atque id Gregorius XV, decreto pariter universalis Inquisitionis 1622, extenderit ad privata colloquia et scripta, ab hoc tamen silentio idem Greg. XV, constitutione *Eximi* data 28 Julii 1622, excipit Fratres Prædicatores, conceditque illis ut libere et licite possint inter se de hac materia tractare et propriam sententiam explicare, his verbis : « Motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, omnibus et singulis dicti ORDINIS PRÆDICATORUM FRATRIBUS, ut de cætero in quibuscumque privatis corum colloquiis seu conferentiis, inter se dumtaxat, et non inter alios aut cum aliis, de materia ejusdem Conceptionis B. Mariae Virginis disserere et tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incursu, libere et licite possint et valeant, apostolica autoritate, tenore presentium, licentiam concedimus et impartimur : decernentes Fratres præfatos a quoquam quavis autoritate desuper molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse aut debere. » Hæc constitutio habetur in Bullario Ordinis Frafrum Prædicatorum, tom. vi, pag. 43.

Potes 7º utrum, si aliquis ex humana carne miraculose formaretur, contraheret peccatum originale.

Resp. negative : quia illi soli contrahunt peccatum originale, qui originaliter descendunt ab Adam secundum seminalem rationem, seu virtute seminis originaliter ab Adam decisi, et non tantum secundum corpulentam substantiam. Atqui iste homo non descenderet ab Adam secundum seminalem rationem, sed tantum secundum corpulentam substantiam; non enim esset factus per virtutem activam seminis, sed per divinam virtutem. Ergo. — Prob. maj. Peccatum Adæ traducitur in posteros in quantum sunt ejus filii, seu in quantum ab eo moventur per generationem, hoc est, in quantum eos movet ut generentur. Atqui movere per generationem, est proprium

virtutis activæ quæ est in semine. Ergo. Unde concilium Trid., sess. vi, cap. 3, dicit : « Nisi [homines] ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. »

Deberet tamen iste homo baptizari, non ut mundaretur a peccato originali, sed ut conquereretur gratiam sanctificantem, fieret membrum Christi, et haberet jus ad regnum celorum, juxta illud *Ioann.*, iii, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

ARTICULUS III

Utrum beatissima Virgo Maria peccatum originale in sua Conceptione contraxerit?

[Quamvis, Seoto duce, universitas Parisiensis doctrinam Immaculatæ Conceptionis amplexa fuisset, cum Doctor Subtilis anno 1308 e vita migrasset, Joannes de Montesono, doctor theologus ex ordine Predicatorum, hanc sententiam palam et acriter oppugnavit anno 1387. Quem secuti sunt multi e familia Dominicana. Jam a duobus fere sæculis agitabatur in scholis hæc quæstio, cum in concilio Tridentino fuit proposita. Quia vero sancta Synodus solebat tempus consumere in iis quæ temporum adjuncta non omnino exigebant, et aliunde plures Patres, etsi numero multo minores, privilegium Mariæ non admittebant, ne eos positive condemnaret, edidit, in sess. v, declarationem infra referendam, qua testata est « beatam et *immaculatam* Virginem non comprehendti in decreto de peccato originali. » Non fuit sopia hac declaratione concertatio, Dominicanis plerisque sententiam Joannis de Montesono propugnantibus et scriptoribus Jansenistis, inter quos eminent Joannes Launoi, postea illis plaudentibus, quamvis Ecclesia Romana, ad opinionem Immaculatæ Conceptionis propensior, ei aperte faveret. Hi distinguentes inter primum instans conceptionis beata Virginis et ejus animationem, contendere

bant Mariam peccatum originale in ipsa conceptione contraxisse, sed concedebant eam ab hac labe post animationem fuisse purificatam, ut legitur in officio *Sanctificationis B. M. V.* in Breviario Dominicano anno 1347 Venetiis edito; quod est contra veram doctrinam de infusione animae in corpus humanum, quam statuimus in dissertatione *De homine*.

Ex altera parte, inter theologos qui gloriam Immaculatae defendebant, aliqui, boni ceterum nominis, censebant Deum decreuisse eam tanto privilegio donare etiam ante prævisionem tum peccati originalis, tum incarnationis Verbi, et ideo independenter a sublimissima dignitate ad quam evehenda erat titulo maternitatis divinæ. Hi non ad sobrietatem sapientes, non satis considerabant omnes ex Adam seminaliter propagatos in eo peccavisse, ut docet Apostolus, *Rom.*, v, 12, et consequenter omnes redemptione quæ est per Christum indiguisse: unde concludere debuissent beatam Mariam Virginem non fuisse a debito peccatum originale contrahendi immunem, et ab ista labe non potuisse praeservari, nisi, ut dicitur in bulla definitionis mox citanda, « singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis. » Alioquin Christus non esset universalis Redemptor totius generis humani, et pro omnibus hominibus non esset mortuus; quod salva fide sustineri non potest.

Igitur contra predictos respective

Dico: Beatissima Virgo Maria in primo instanti suæ Conceptionis fuit, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe praeservata immunis.

1º *Est de fide.* Antequam his novissimis temporibus dogmatice definiretur hæc veritas, semper in Ecclesia Dei persuasum fuit Deiparam singulari privilegio fuisse omnino a quovis peccato, sive actuali sive originali, immunem. Legitur enim in bulla *Ineffabilis Deus*: « Quam originalem augustissimæ Virginis innocentiam

cum admirabili ejusdem sanctitate præcelsaque Dei Matris dignitate omnino coherentem catholica Ecclesia, quæ a sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et cœlestis revelationis deposito comprehensam, multiplici continenter ratione splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitut. »

Etenim multæ declarationes S. Sedis et alii actus dogmatici maximi momenti, quæ fuerunt præambula ad definitionem formalem, clare ostendunt quæ fuerit semper doctrina Ecclesiae de Immaculata Conceptione B. M. V. Genitricis Dei.

Conc. Trid., post celebre decretum de peccato originali, sess. v editum, addit: « Declarat tamen hæc sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et *immaculatam* Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. » Et concilium veram sententiam suam aperte professus est, jubendo ut in festo Conceptionis celebraretur, Patribus adstantibus, missa a Sixto IV approbata, cum oratione: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, etc., quæ in nuperrimis Officio et Missa recitatur.* Hæc missa cum officio correspondente fuit in usu ab anno 1476 ad annum 1568, et tunc in novo Breviario hoc officium locum cessit officio Nativitatis, mutato nomine.

Sixtus IV, in constit. *Grave nimis*, pridie nonas septembbris 1483, declaraverat quidem libere disputari posse an B. V. Maria immaculata fuerit in ipsa sua conceptione, sed sub gravissimis pœnis prohibuerat ne quis hæresis et etiam erroris insimularet « eos qui tenerent animam B. M. V. in primo instanti creationis atque infusionis in corpore, intuitu meritorum Filii Dei Redemptoris nostri, a macula peccati originalis præservatam et immunem fuisse, atque in hoc sensu ejus festivitatem solemní ritu colerent et celebrarent. » Quæ constitutio ab Alexander VII, 8 decembris 1661, fuit innovata.

Unde S. Pius V, constit. *Ex omnibus afflictionibus*, data 1 octobris 1567, damnavit sequentem propositionem, quae est 73^a inter Bajanæ : « Nemo, præter Christum, est absque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. »

Ad fovendam et augendam devotionem fidelium erga privilegium singulare Matris Dei, plures Pontifices erectionem multorum monasteriorum, ecclesiarum et confraternitatum sub titulo *Immaculatae Conceptionis B. M. V.* approbarunt, et indulgentias concederunt iis qui certas preces recitarent in honorem Virginis Immaculatae. Inter quos Gregorius XV, 13 aprilis 1621, indulgentia partiali ditavit recitationem invocationis : *Benedicta sit purissima et immaculata Conceptio B. M. V.* Quæ concessio fuit renovata ab Urbano VIII, 18 novembris 1623.

Quia, ex effato sœpe laudato S. Cœlestini papæ, « legem credendi statuit lex supplicandi, » quæ in sacra liturgia expresse enuntiantur, habenda sunt ut ad genuinam Ecclesiæ doctrinam pertinentia. Etenim Ecclesia Dei non magis potest errorem profiteri, quam errorem pro veritate juridice definire. Porro in liturgia sua Ecclesia Romana a pluribus sœculis professa est B. M. V. in sua Conceptione immaculatam fuisse. Ergo hanc doctrinam suam esse, id est in deposito sacræ revelationis contineri, testata est.

Antequam in liturgia Romana et liturgiis particularibus ecclesiarum occidentalium clare appareat professio hujus veritatis, invénitur in antiquissimis et primitivis liturgiis orientalibus. In liturgia nomine sancti Joannis Chrysostomi insignita, laudatur beatissima Virgo ut *sanc-tissima, impolluta, intemerata, super omnes benedicta*. Iisdem præconis celebratur in liturgia sancto Basilio Magno adscripta, quæ, ut refert Petrus Diaconus, qui vi sœculo scribebat, in omnibus prope ecclesiis Orientis erat in usu. Liturgia sancto Marco tributa eamdem laudem Deiparae decernit. Liturgia sancti Jacobi, primi Hieros-

lymorum episcopi, commemorationem facit de Virgine Maria, Matre Dei, ut *sanctissima, intemerata, Immaculata, super omnes benedicta, semper beata, omnibus modis irreprehensa, honorabilior quam cherubim et gloriosior quam seraphim*. Non dissimiliter loquuntur aliae eorumdem temporum liturgiæ.

Si objiciatur prædictas liturgias quæ dicuntur apostolicæ esse apostolis posteriores, quia ante v sœculum nulla invenitur de eis mentio, respondendum est : 1º Etiamsi certo non essent v sœculo antiquiores, nihilominus ex eis dignoscitur quas veritates professæ fuerint diversæ ecclesiæ; nam nova dogmata, nemine reclamante, in eas introduci non potuissent. 2º Constat nullam liturgiam, excepta forsan ea quæ in *Constitutionibus apostolicis* reperitur, scripto mandatam fuisse ante v sœculum, propter disciplinam secreti, quæ saera mysteria nisi initiatis revealare non sinebat. Tempore S. Augustini nondum scribatur Symbolum Apostolorum, ut ipse testatur cap. 1 de *Symbolo ad catechumenos*¹, n. 1. Num ideo authenticita hujus regulæ fidei negari potest? Idem dicendum est de liturgiis.

In Occidente, festum Conceptionis B. M. V. jam ab xi sœculo in diversis ecclesiis celebratur. Reperitur institutum in diœcesi Cremonensi anno 1047 ; in Bajocensi, 1070.

Celebris est epistola qua, versus annum 1140, S. Bernardus acriter reprehendit canonicos Lugdunenses qui festum Conceptionis Mariæ instituere decreverant, dicens hoc festum esse novum (quamvis alibi jam celebraretur), nullo niti legitimo fundamento, et instituendum non fuisse inconsulta Sede apostolica. Declaravit tamen se suam

1. Sic catechumenos alloquitur S. Doctor loco cit. : « Accipite, filii, regulam fidei quod symbolum dicitur. Et cum acceperitis, id corde scribite... Symbolum nemo scribit ut legi possit ; sed ad recensendum, ne forte deleaf oblio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. » A fortiori sub lege secreti cadebat liturgia, propter altissima quæ non expediebat infidelibus detegere et ipsis catechumenis ante baptismum non revelabantur.

sententiam « reservare Romanae præsertim Ecclesie authoritati atque examini. »

Hanc festivitatem instituerat S. Anselmus in sua Cantuariensi ecclesia anno 1109. Non obstante vehementi contradictione S. Bernardi, a pluribus Galliarum ecclesiis admittitur anno 1198. Inde in vicinas regiones transit, et celebratur in diœcesi Paderbonensi anno 1343; in Monasterensi, 1350; in Argentoratensi, 1364; in Hispalensi, 1369; in Tarragonensi, 1378.

Ecclesia Romana desiderium et consilium ecclesiarum particularium nullo modo improbavit: quod certe non omisisset, si pictas earum in hoc erravisset. Imo summi Pontifices ipsi hanc devotionem expresse probaverunt, et cultu publico eam propagandam esse censuerunt.

Etenim Sixtus IV, 3 calendas maii 1476, decernit hoc festum celebrandum esse Romæ cum officio et missa quorum oratio erat: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*, etc. Quæ missa, ut diximus, coram Patribus Tridentinis fuit postea celebrata.

Paulus III, 3 julii 1536, approbat Breviarium a cardinali Guignonio elaboratum, cum officio Conceptionis, in quo Invitorium Matutini erat: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus*, etc. Idem, 16 septembri 1549, approbavit Missale Romanum continens missam hujus mysterii cum oratione supradicta.

Paulus V, 5 idus martii 1606, concedit ordinis Minorum Observantium, singulis sabbatis non impeditis, recitationem officii Immaculatae Conceptionis incipientis *Sicut lilium*, quod a Pio IX fuit denuo approbatum et ad totam Ecclesiam concessum.

Plures Pontifices postea concedunt diversis ordinibus idem officium et eamdem missam: inter quos Clemens IX, 27 septembri 1667, Societati Jesu, cum octava; 31 octobris ejusdem anni, universo ordini Eremitarum S. Augustini. Ab eodem conceditur 21 octobris ejusdem anni omnibus in territorio romano degentibus, et 8 februarie diœcesi Mutinensi.

Innocentius XI, 18 decembris 1678, approbat et indulgentia ditat parvum officium Conceptionis Immaculatae in diversis congregationibus B. M. V. recitandum, « quod, ait Pontifex, ab antiquissimo tempore S. Sedis permisso in Ecclesia recitatur. »

Innocentius XII, 15 maii 1693, ad universam Ecclesiam extendit festum Conceptionis cum octava. Si objiciatur Conceptionem Deiparae non dici expresse *immaculatam* in hoc officio, respondendum est: 1º Statutum fuit in Missali S. Pii V quod hoc festum celebraretur cum officio et missa Nativitatis ejusdem, mutato tantum nomine. 2º S. Thomas de Nativitate B. M. V. dicit, 3^a p., q. 27, a. 1, in arg. *Sed contra*: « Ecclesia celebrat Nativitatem beatæ Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo beata Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta. » Hoc argumentum merito usurpatur in gratiam Conceptionis ejusdem Virginis. Et quidem eo ipso quod præcipitur Conceptionem et Nativitatem Mariæ eodem officio et eadem missa celebrandas esse, utrumque mysterium pari jure declaratur *dignissimum et sanctum*. Porro Conceptione non fuit sancta, et ideo dignissima, nisi fuerit immaculata, et non alio titulo potuit pietati fidelium offerri ut objectum cultus publici.

Clemens XI, 6 decembris 1708, festum hoc de præcepto servandum esse decernit, et concedit postea, 25 maii 1712, ut titulus *Immaculatae* non tantum Virgini ipsi, sed ejus Conceptioni addatur.

His et aliis multis, quæ brevitatis causa hic omittimus, « summorum Pontificum responsis, constitutionibus, decretis, præceptis, mandatis, approbationibus, confirmationibus, concessionibus, gratiis et privilegiis, » authentice constat semper in Ecclesia Conceptionem B. M. V. fuisse veneratam et celebratam ut *immaculatam*. Quibus motus Benedictus XIV, præparari jussérat schema constitutionis dogmaticæ de *immaculata Deiparae Conceptione*, ad hanc veritatem ut de fide definiendam. Quo sapientissimo Dei consilio doctissimus Pontifex definitionem hanc non promulgaverit, nobis non est inquirendum.